



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. III. An, & quid debeat restitui pro injuria illata corpori, v. g. per
mutilationem, occisionem? &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

pretio extet; nec ratione acceptionis, cum jure eam consumpserit; nec ratione contractus, cum hic non obliget, nisi re pereunte tua culpa, *Less. Hurt. Tur. Dia. p. 5. r. 8. R. 10.* Imò probabiliter ne quidem id, quod ante illam necessitatem eras furatus & in ea consumpsisti; quia furtum tibi non ademit jus, quod ad rem tali casu habebas. *Côn. Pala. Hurt. Dian. l. c. R. 8.* contra *Less. & Vasq.* sicut neque si in ipsa necessitate accepisses & consumpsisses. *Dian. l. c. R. 9. ex Azor & 6. aliis contra Less.*

ARTICULUS III.

An, & quid debeat restitui pro injuria illata corpori, v. g. per mutilationem, occisionem, &c.

Resp. Injustus occisor, mutilator in conscientia tenetur tantum restituere pro damnis bonorum fortunæ, quæ ex tali occisione, vulnere, &c. directè ab eo, causata sunt, juxta prudentis arbitrium: præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice, nihil tenetur restituere secundum rigorem, cum sint bona altioris ordinis, quæ pecunia æstimari non possint. Ita contra *Sotum Sylv. &c.* probat *Less. l. 2. c. 9. d. 23. vid. Laym. l. 3. r. 3.* Unde resolves.

I. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis & voluntaria, vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non prævidit, vel diligentiam debitam adhibuit ad cayendum, non tene-

tur ad restitutionem: tenetur autem, si prævidit,
& non cavit, *Bon. d. 2. q. ult. f. 2. p. 2. ex commun.*

II. Qui occidit Cajum putans esse Titium, tene-
tur ad restitutionem: quia actio ista est Cajo inju-
riosa, *Bonac. l. cit.*

III. Si læsus ante mortem omnia remisit, ad
nihil tenetur occisor, quia filiis non fit injuria in
bonis, nisi quatenus læduntur in parte contra ejus
voluntatem (volenti enim non fit injuria) ergo
sicut per eum jus acquirunt, sic etiam amittunt;
etsi non rectè faciat parens, si filii valdè egeant,
Less. l. 2. c. 9. d. 26.

IV. Etsi præcisè pro vita, membro, occisione,
non sit obligatio restituendi: per sententiam ta-
men judicis cogitur injurians satisfacere pro in-
juria.

V. Consilium est, ut confessarius pro his injur-
gat eleemosynas, Missas, pro salute occisi.

VI. Si occisus, vel mutilatus fuerit servus vel a-
nimal, tunc etiam pro vita & membris facienda
est restitutio: quia horum vita pretio æstimatur;
ac proinde tantum debet restitui, quanti potuis-
set vendi; & pro mutilatione vel cicatrice, quanto
pluris venderetur.

VII. Pro expensis funeris nihil restituitur; quia
illæ aliquando faciendæ tamen fuissent. Nisi fortè
occasione illatæ necis, v. g. extra patriam, majores
fieri oportuerit.

VIII. Restitui debent impensæ factæ in curatio-
nem, & medicamenta vulnerati, vel occisi, *Fill. t.*
32. c. 8. n. 202.

IX. Item lucra, quæ ex mutilatione vel vulne-
ra-

M ra-

ratione cessarunt, non quidem tam in solidum, ac si de facto essent acquisitæ, sed pro majore aut minore spe, quam læsus habuit illa acquirendi, *vid. Trull. l. 7. c. 8. d. 3.*

X. Si homicida à Magistratu plectatur, verius est adhuc teneri ad damna sarcienda; cum morte sua tantum satisfaciatur justitiæ publicæ, non hæredibus occisi. Qui tamen, cum plerumque aliud non exigant, videntur esse contenti, ac proinde hæredes homicidæ ad nihil tunc teneri, *Fill. l. c. n. 214.*

XI. Debet autem restitutio fieri tantum parentibus interfecti, filiis & uxori: quia hi soli directè læduntur; cum moraliter censeantur una persona cum occiso. Nisi tamen occideris animo etiam nocendi aliis: nam tunc etiam his restituere teneri dicit *C. Lugo de just. d. 11. num. 8. ex Less. v. Trull. l. c. d. 4.*

XII. Etsi probabile sit, deberi etiam restitutionem creditoribus occisi, si quod damnum illis ex ea cæde obvenit: contrarium tamen etiam probabile (saltem secundum limitationem casus præcedentis,) est; cum occisio illa non sit directè causativa illius damni. *vid. Laym. l. c. n. 4.*

XIII. Non tenetur occisor aliqui deis restituere, quos occisus alebat ex liberalitate: quia damnum illorum per accidens sequitur, *v. Less. l. 2. c. 9. d. 26. Trull. l. c.*

XIV. Nec tenetur ad damna, quæ v. g. provenerint ex morte alicujus innocentis, qui per errorem putaretur homicidium fecisse, & sic captus plecteretur: quin hujus mors non directè causaretur

tur ab ipso, sed per accidens, & ex errore vel malitia accusatorum. v. Bon. d. 2. q. ult. f. 2. p. 21.

ARTICULUS IV.

Quid debeat restitui pro illato stupro?

Resp. Qui virginem per injuriam defloravit, tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria est secutum; idque vel matrimonio, vel damni æstimatione, ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum inveniat, qualem manens virgo invenisset. v. Sanch. l. 7. d. 14. Fill. t. 32. cap. 8. n. 209. Unde resolves.

I. Præcisè pro sola virginitate non obligat restitutio. Unde si stuprum mansit clam, aut non impedivit, quin æquè lautè nuberet, ad nihil tenetur stuprator. Less. Bon. q. 4. de mat. p. 7.

II. Item ad nihil tenetur, si defloravit consentientem, absque vi & fraude, vel promissione matrimonii: quia non est facta injuria, Ib. & Trul. d. 2.

III. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere, quia adhuc consensit liberè. Nisi fortè preces tales fuerint, ut cum vi & coactione æquiparentur; ut si conjuncte fuerint cum minis, vel metu reverentiali, v. g. si fuit illius dominus, vel vir magnæ authoritatis, Trul. c. 9. d. 3.

IV. Si per promissionem veram, vel fictam matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere eam: quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua acceptavit & implevit, tenetur & alter implere;